

tur) contentas esse. Atque omnino ē propositionibus quadraginta cum secreveris octo de lineis & planis solidis 4. 5. 10. 15. 16. 17. 18. 19, septem de solidis 20. 21 23. 24. 25. 36. 40. reliquæ omnes vigintiquinque vel communes vel propriæ geometrici generis reperientur, nil ad stereometriam proprié attinebunt. Atque ista est inopia quām initio proposui, quæque major etiam postea reperietur.

LIBRI VIGESIMI SEPTIMI FINIS.

PETRI RAMI SCHOLARUM MATHEMATICARUM

LIB. XXVIII. IN DVODECIMVM

elementorum.



Uodecimus liber habet propositiones 18. ē quibus tres sunt de planis 1. 2. 16. reliquæ de solidis, quatuor de pyramide 5. 6. 8. 9. tres de pyramidis & prismatis ratione 3. 4. 7. de sphæra duæ 17. 18. de cylindro unica est 13. de cono & cylindro quinque 10. 11. 12. 14. 15. Sed quindecim de solidis propositionum, decem sunt communes 5. 6. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 18. ē quinque reliquis duæ 7 & 10. solidam utilitatem habent, tres reliquæ 3. 4. 17. demonstrationum cauſa videantur esse factæ. Prima igitur, secunda & decima sexta propositiones ad Geometriam pertinent, non ad Stereometriam.

1 p 12 Elenchum habet in multis antea propositionibus deprehensum, speciei nempe pro genere. Proponit enim de multangulis, quod omnium rectilineorum commune est: imo verò quod omnium omnino figurarum commune videatur, ut amplius differetur 17 p 12. demonstratio non obscura est, cauſam tamen aliam nullam habet, sed propositio ipsa suæ veritatis cauſam continet ē diametro & similitudine figurarum.

2 p 12 Specialis est tertia post 19. & 20 p 6. ad figuras similes 15 & 4, diametri enim sunt pro lateribus homologis, quod 18 p 12. manifestius efficiet. Itaque materies ista tam postulandi principii fuit, quām 1 de 3: quæ valde huic homogenea est: materies non fuit, demonstrabilis propositionis: demonstratio tamen obscurissima est omnium quæ adhuc fuerunt, & multis de cauſis animadvertenda. Labyrinthum hīc creticum quempiam stereometrico artificio affectatū credas. uno hoc in libro iteratus est sexies error iste inexplicabilis. Eo igitur diligentius tanquam filo Ariadnes retexendus est, ut ambages in uno semel explicatae, nullum in cæteris negotium facessant. Ergo attendatur. Impossibile per partes inducitur, sed inductione valde insolenti. Tria enim sibi sumit Euclides ad impossibile cogendum obscuriora & magis improbabilia quæstione ad quam probandum adhibentur.